11/15 77

Stanislaus Augustus Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Samogitiæ, Masoviæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq;

Universis et Singulis quorum interest, aut quomodolibet interesse poterit, Notum facimus. Postquam ad Regni Gubernacula ita disponente Numine concordibus Polonæ, Lithvanæq; Gentis Suffragiis feliciter evecti Sumus; confestim Studio benemeritos de Nobis et Republica decorandi, benemeritos excitandi, Ordinem Sancti Stanislai Episcopi et Martyris totius Regni et Nostri Patroni seorsivo Nostro Diplomate Die VII. Mensis Maij Anno Domini MDCCLXV. Constituimus; Cum itaq; Generosus Joannes Wołodkowicz Succamerarius Noster meritis et virtutibus quæ ipsum commendant pollere dignoscitur; Nosq; eum Gratiâ Nostrâ Regiâ dignum esse Judicaverimus; Eundem Ordine præfato Sancti Stanislai condecorandum et Numero ipsius accensendum, adscribendumq; esse Censuimus; uti de facto cum omnibus Juribus et prærogativis ad mentem præfati Diplomatis Instituimus ad extrema Vitæ suæ tempora Condecoramus, Adnumeramus et Adscribimus. Quod omnibus quorum interest ad Notitiam deducendo Extraneos Amicé Requirimus, Subditis vero Nostris Mandamus, ut præfatum Generosum Joannem Wołodkowicz Succamerarium Nostrum pro Equite Ordinis Sancti Stanislai habeant, nominent et agnoscant. In Cuius rei fidem præsens Gratiæ Nostræ Documentum, Manu Nostrâ subscriptum, Sigillo Magni Ducatus Lithvaniæ communiri Jussimus. Datum Varsaviæ Die VIII. Mensis Maij Anno Domini MDCCLXXXVIII. Regni vero Nostri XXIV. Anno.

Stanislaus Augustus Rex



Diploma pro Equite Ordinis Sancti Stanislai Episcopi et Martyris Generoso Joanni Wołodkowicz Succamerario S.æ R.æ M.tis confertur.

Mathias Domeyko S.æ R.æ M.tis Sigilli M.Duc. Lit. p.ti Secretarius.

Pro Cancellariatu
Illmi et Excellmi Dni Ioachimi
in Szczorse, Ziembin et Wiszniew
Comitis Littawor
Chreptowicz
Procancellarij M D Littae
Orsensis, Zostensis Etc Capitanei
Sigillatum

Est in Actis

521